Vir Eminentissime!

Putavi, Supplementa prodiisse separatim in minutis fors fasciculis. Re tamen ita se habente, uti scribis: nescio satis mirari Tuam erga me magnanimitatem, quam ne a procul quidem promerui. At ne magnanimitatem Tuam offendam, ambabus arripio manibus occasionem tam favorabilem procurandi Opera summi momenti. Hodierna posta transpono 50 franc, seu 25 fl valutae austriacae; anhele exorando, ut mihi tria volumina IX. X et XI. ad meas expensas mittere non graveris. Suppleo pretium, quod mihi donasti, piissimo „Deo Gratias" et „Deus retribuat centiesve milliesve"! Recipe gratiarum actionem sincerissimam! Utinam gratum animum

meum aliquo modo contestari valeam!

Ultra vires occupatus necdum potui mittere fungos; faciam tamen, ut primum tempus suppetierit. Praeter sollicitudinem parochialem gero officium praesidis nostrae doctae societatis slavicae, in cujus negotiis saepe iter facere cogor. Dein adjiciam Hydnum corrugatum Fr. fide Bresadola, quod nuper inveni, et praelaudatus Dominus inventum "dicit „magni momenti." Iuxta Winter non licuit determinare, quia Hydnum corrugatum describit „schwarz," hoc vero est album. – His diebus curiosam quoddam Sclerotium legi.

Adhuc semel gratias agendo, enixe devotus, singulari cum veneratione cultu persisto

Prenčov 25. Oct. 1897.

sincerissimus
Andreas Kmeť
parochus